kat.komp.
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
53391
I Mag. St. Dr. P

Trąbski Joan. Nep: Dissertatio de ideis. —

No 11mo

B J C

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

DISSERTATIO
De Ideis,

Sub ſecundo eoqué feliciſſimo Regimine
MAGNIFICI PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI
DOMINI
D. M. ANDREÆ DOMINICI
LIPIEWICZ

Utriuſque Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, Facultatis Juridicæ PROCANCELLARII, ac DECANI, Eccleſiarum; Cathedralis Cracovienſis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CUSTODIS, Parochialium in Koniuſza & Igołomia CURATI, Judiciorum Conſiſtorii Generalis Cracovienſis ASSESSORIS, Librorum per Diœceſim Cracovienſem Ordinarii CENSORIS, Ordinandorum & Approbandorum EXAMINATORIS, Collegii Juridici SENIORIS PATRIS, Contuberniorum; Juriſperitorum & Regio-Jagelloniani, tum Academiarum; Poſnanienſis & Tarnovienſis PROVISORIS, Geometræ Jurati, Studii Univerſitatis Cracovienſis, Generalis ac Ampliſſimi

RECTORIS

à

M. JOANNE NEPOMUCENO TRĄBSKI
Philoſophiæ DOCTORE & PROFESSORE, Eccleſiæ Collegiatæ S. ANNÆ CANONICO, interea Artiſtarum DECANO,

pro loco obtinendo

in Minori Univerſitatis Cracovienſis Collegio

Publicæ Diſputationi

in Lectorio CC. DD. Theologorum

Annô Domini 1776. Die 30. Menſis Aprilis.

EXPOSITA.

Typis Collegii Majoris Univerſitatis Cracovienſis. O.

DIVINISSIMIS
JOANNI NEPOMUCENO
Sacræ Theologiæ & Utriusque Juris
DOCTORI,
Secreti Sacramentalis MARTYRI,
Specialissimo bonæ famæ ADVOCATO.
JOANNI CANTIO,
Sacræ Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI
CONFESSORI,
Singularissimo Studiorum PROTE-
CTORI,

53391
I

Magnis coram Domino, (a)
PRÆDICATORIBUS & APOSTOLIS & MAGISTRIS, (b)
Potentibus in opere & sermone, (c)
Gloria & Honore coronatis, (d)
TUTELARIBUS SUIS GRATIOSISSIMIS,
A. O.
D. D. D.

---

[a] Luc. 1. v. 15. (b) 2 ad Timoth. 1. v. 11. [c] Luc. 24. v. 19. [d] Psal. 8. v. 6.

PROLEGOMENON.

Idea est vox Græca, derivata à verbo *ido*, quod est *video*. Latinè idem sonat, quod *exemplar*, *imago*, *species*, *notio*, *simulacrum*. Hanc primus omnium adhibuisse videtur Plato, is Ideam dixit exemplar illud in mente positum, quod continuò intuetur Artifex, dum aliquid extra molitur. Unde Seneca loquens de Ideis, quas olim Plato in Divina mente posuerat, inquit: (a) *Ideas vocat*, (*Plato*) *ex quibus omnia, quæcunque videmus, fiunt & ad quæ cuncta formantur. Hæ immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit Idea? idest: Quid Platoni esse videatur, audi: Idea est eorum, quæ naturâ fiunt exemplar æternum.* A Philosophis describitur, quòd sit *vitalis repræsentatio objecti*, in mente seu *imago quædam, quæ ab intellectu nostro efformatur, dum rem aliquam contemplamur.* Porro Idea non debet accipi pro ea imagine corporea in cerebro depicta, ad quam mens se se convertit, dum absens aliquod corpus perinde acsi sibi præsens intuetur; tale enim

(a) *Epist. 59. editionis Basiliensis.*

ſpectrum ab Idea differt: nam illud utpotè in cerebro exaratum, & in ipſo tanquam in ſubjecto exiſtens, omnino corporeum & materiale eſt, hæc verò penitus ſpiritualis, utpote pura mentis affectio.

Idea multifariam dividitur: *1mò* ratione originis in *Adventitiam*, quæ ope ſenſuum acquiritur. *Factitiam*, quam mens noſtra ex illis, quas jam habet, ideis conficit, earum videlicet vel compoſitione, vel ſeparatione, vel ratiocinio, vel proportione, vel ſimilitudine. *Et Innatam*, hæc ſecundùm Lockium eſt, quæ animo noſtro impreſſa eo ipſo tempore quo cæpit eſſe. jam verò ſecundùm Purchotium, quæ menti noſtræ ſtatim ab ortu divinitus eſt ingenita. *2dò* ratione ſuæ naturæ in *Phantaſticam*, quæ nobis rem corpoream, aut etiam incorpoream corporea ſub imagine exhibet. *Et Intelligibilem.* quâ objectum abſque corporea imagine repræſentatur. *3tiò* ratione objecti in *Simplicem* & *Complexam*. *Illa* dicitur, quæ in plures diſtinctas notiones reſolvi nequit, ſeu quæ unicam indiviſibilem rem repræſentat. *Complexa* verò quæ plures diſtinctas notiones in ſe retinet. Item in *Adæquatam* & *Inadæquatam*. *Prior* eſt, quæ omnia in re contenta menti exhibet. *Poſterior* verò, quæ aliquid tantùm ipſius rei, menti oſtendit. Cognitio rei adæquata, comprehenſiva etiam vocari ſolet. *Totum* quippe *comprehenditur videndo*, inquit S. Auguſtinus

gustinus, *quod ita videtur, ut nihil ejus lateat.* (b) 4tò comparatè ad mentem nostram Idea dividitur in *Distinctam* & *Confusam*. *Illa* dicitur, quæ suum objectum ita exprimit, ut à cæteris omnibus discernatur eg, idea Solis, soni, &c: *Confusa*, quæ eum in modum objectum proponit, ut dependenter ab ea illud ab aliis objectis satìs secernere nequeamus. Sic confusam ideam habemus soni, dum ob alios perstrepentes sonos, aut alia quavis de causa, qualis is sit, discernere nequimus. Item *Claram* & *Obscuram*. *Illa* est, per quam ita obversatur animo objectum, ut in ea ejus naturam intueamur. Hujus generis est idea trianguli in mente Geometræ. *Obscura* est, quæ ita objectum menti præsens facit, ut ipsi per eam natura objecti non innotescat, exemplo sint perceptiones coloris, famis &c. Præterea Ideæ aliæ dicuntur *Vividæ* aliæ *Debiles*. *Vividæ* sunt, quas rei intenti habere cosvevimus; per quas mens ad objecta insigniter advertit, tales sunt maximè rerum sensibilium, admirationem, voluptatem, timorem, nobis adferentium. *Debiles* ex adverso illæ sunt, per quas mens nonnisi leviter objecta attingit. Quæ propterea brevis sunt durationis. & oblivioni valde obnoxiæ. Hujus sortis sunt, quæ res spirituales, aut rerum sensibilium naturam, proprietatesqué abstractas exhibent. Cæ-

(b) *Epist.* 112.

teras Idearum divisiones, brevitati studens, prætermitto, existimando datas ad elucidationem præsentis Dissertationis sufficere, non esse nihilominus superfluum, quod adjicio.

Scholion 1. Omnem Ideam claram etiam distinctam esse, sed non vicissim omnem distinctam etiam claram. Nam si quæpiam Idea ita objectum repræsentet, ut ejus naturam in ea intueamur, ita quoque exhibebit, ut illud ab omnibus aliis secerni possit. At non vicissim omnis Idea objectum suum ita repræsentans, ut ab omnibus aliis satis secernatur, ita quoque illud repræsentat, ut ejus quoque naturam nobis ostendat, sic dum sonum percipimus, vi suæ Ideæ hanc qualitatem ab omni alia discernimus, non tamen ea nobis naturam soni ostendit.

Scholion 2. Omnem Ideam confusam obscuram esse, sed non è contra. Si namque Idea objectum menti objicit, ut ab aliis discerni nequeat, ejus certè naturam non manifestat, quapropter obscura est; sed potest naturam objecti non manifestare, & tamen illud ab omni alio satis distinguere, ùt in Idea caloris patet.

Scholion 3. Omnem Ideam comprehensivam, sive adæquatam claram esse; nam utraque naturam objecti exhibet, sed non omnis clara adæquata est, Siquidem Idea clara est, si naturam objecti exhibeat,

beat, etsi non omnia, quæ in objecto sunt, repræsentet. His præmissis sit.

PROPOSITIO I.

Mens humana congenita sibi vi rerum Ideas in se efficit.

Hæc Propositio fundatur in vi activa rerum creatarum; quare ut ex fundamento pateat, demonstrare priùs intendo creaturas facultate agendi pollere. Fuerunt quidem referente Suario (c) quidam veteres Arabes sentientes res creatas nihil operari, ast Deum ad præsentiam earum omnia efficere, sed horum sensus à posteris experientia & ratione reprobatus, rejectus est. Longo tempore pòst nonnulli Recentiores cum Cartesio & Malebranchio istam antiquatam & oblivioni insepultam sententiam resuscitârunt, contendentes solum Deum esse veram causam, reliquas verò, quæ vulgò habentur, causas efficientes non esse nisi precarias, & uti loquuntur, occasionales, hoc est; alicui effectui occasionem præbentes propter legem à naturæ Conditore institutam. Asserit quippe Malebranchius. (d) *Non modò corpora non possunt esse veræ causæ ullius rei, mentes etiam nobilissimæ in eadem versantur impotentia.* Verùm si Sacra Scriptura, si experientia, si demum

---

(c) *Metaph: Disput: 18. Sect: 1.* (d) *Lib: 6. de inquir: verit: p. 2. cap: 3.*

demum intimus sensus ratioqué consulatur, profectò hanc hypothesim ruere necesse est. *Protulit terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum.* (e) *Videte ficulneas & omnes arbores, cùm jam producunt ex se fructum.* (f) en Sacræ Litteræ tribuunt vim activam rebus creatis. Nos porro nonné quotidie observamus: ignem urere, solem lutum exsiccare, ceram liquefacere, corpora hominum decolorare, nonne arbores florere, virgulta folia proferre, segetes semina edere, cæterasqué res præscriptô sibi agere modô novimus? Experimur tandem inesse nobis facultatem linguam, brachia, caput, manus, pedes & cætera movendi. Quid verò de mira mentis activitate dicendum? quanta ejus in ratiociniis vis, in judiciis efficacia, in cognoscendis rebus perspicacia eluceat? quis non videt. *Sentit animus se moveri quod cùm sentit, illud unà sentit, vi sua non aliena moveri.* (g) *Singularis est igitur quædam natura atque vis animi,* (h) qua concurrente suas volitiones, nolitiones, appetitiones, aliosqué actus vitales exercet. Hinc Tridentinum Concilium (i) damnat eos, qui dicunt liberum hominis arbitrium nihil omnino agere, sed habere se passivè. Et cur pariter vim cognoscendi, virtutem suas efficiendi

(e) *Gen. cap. 1.* (f) *Luc. cap. 2.* [g] *Cic. lib. 1. Tuscul: qq. cap. 33.* (h) *Idem de Consolat.* [i] *Sess. 6. Can. 4.*

endi ideas. perceptionesquè intellectuales non habeat? Quinimo cùm ex vi repræsentativa velut ex fonte derivetur vis volendi, appetendi &c: omnis enim appetitus ex repræsentatione boni, vicissim ex mali repræsentatione oritur omnis aversatio, utì quisque intimo sensu persvasus, quemadmodùm vim appetendi menti nostræ inesse, adigente conscientia profitemur, ita vim repræsentativam seu formandi suas ideas eodem motivo profiteri debemus. Igitur *putandum non est* (inquit S. Augustinus) *facere aliquid corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori faciendi materiæ vice subdatur. Omni enim modô præstantior est qui facit ea re de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius est corpus, imò præcipuô modô spiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus quod antea non videramus, atque inde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, qua illud cùm absens fuerit recordemur, tamen eandem ejus imaginem non corpus in spiritu sed ipse spiritus in se ipso facit celeritate mirabili, quæ ineffabiliter longè est à corporis tarditate, cujus imago, mox ùt oculis visum fuerit, in spiritu videntis nullius puncti temporalis interpositione formatur.* (k)

COROLLARIUM I.

Vis Idearum effectiva non repugnat creaturæ. Cl: Malebranche equidem opinatur, vim producendi

[k] *Lib. 12. super Genesim num 23 alias cap. 16.*

ducendi ideas esse participationem Divinæ potentiæ, mentemqué à Deo ferè independentem constituere. Sic enim ait (l) *Ista participatio potentiæ Divinæ, quam sibi arrogant homines, ut objecta sibi repræsentare, multasqué alias actiones speciales patrare possint, participatio est, quæ independentiam aliquatenus inducere videtur, ùt saltem illa participatio explicari solet. Verùm sincerè loquendo illa participatio chimerica est, merum ignorantiæ & vanitatis humanæ figmentum.* Ast retorsio in facultatem volitivam. Profectò vis eliciendi volitiones, est æquè participatio quæpiam Divinæ potentiæ, sicut omnis alia potentia creata; quin idcirco voluntas aut creatura ulla reddatur aut censeatur independens à Deo. Nec verum est, quod supponit Melebranche Ideas rerum nonnisi per creationem posse produci. Nam ad creationem requiritur, ut res, quæ creari dicitur, non solùm ex nihilo sui, verùm & independenter à subjecto inhæsionis fiat, at Idea non producitur independenter ab omni subjecto sicut nec volitiones nostræ, quas tamen à mente humana creari nemo dixerit.

COROLLARIUM II.

Licèt res insensibiles cognoscantur mediatè ope sensuum, tamen per hos re ipsa & efficienter cogni-

[l] *Lib. 3. de inquir. verit. p. 2. cap. 3.*

cognitio rerum insensibilium non formatur. Sola enim mens est causa vera & propria cognitionis, sensus verò sunt tantùm causæ instrumentales, & quasi ministri, quibûs mens nostra utitur ad efformandas cognitiones. Illi quippe occasionem præbent menti, ut ea has vel illas operationes concipiat.

COROLLARIUM III.

Humana mens ad nullam Ideam producendam est determinata. Nam ùt præclarè advertit Tullius, & intimus ipse sensus in unoquoque nostrûm apertè confirmat: *Naturâ inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi*, (m) *& omnia quæ volumus, nota nobis esse possunt: nihil est enim de quo cogitare nequeamus.* (n) Ne igitur illa cujusque veri sciendi innata cupiditas sit frustranea, tenendum est nostram mentem ad aliquas producendas Ideas determinatam non esse. Præterea sicut mens non est determinata ad certum bonum sic quoque ad certum verum, omne quippe verum, bonum est, & omne bonum est verum, cùmqué nihil appetere queat mens nisì cognitum ab ea fuerit, aut omne verum sive omne ens intelligere ipsa potest, ejusque Ideam cudere, aut non omne bonum potest amare.

 COROL-

[m] *Lib: 1. 99. Tuscul. cap. 19.* (n) *Idem Lib. 2. de Divinat. cap. 67.*

COROLLARIUM IV.

Determinativum mentis ad Ideas producendas, sunt res quæ per ipsas Ideas exprimuntur. Cùm enim omnis potentia determinetur ab objecto non solùm ad simpliciter operandum, verùm etiam ad ita operandum, ut hunc potiùs quàm alium in specie actum eliciat. Vetustissimorum quippe Philosophorum effatum est, omnium deinde consensione probatum: *Potentias specificari per actus, & actus per objecta.* Objectum autem potentiæ cognoscitivæ est res, quæ cognoscitur, sive quæ per Ideam exprimitur. Quis dubitabit? res quarum Ideas mens producit determinare mentem ad producendas eas.

COROLLARIUM V.

Mens copulata corpori determinatur proximè à phantasmate ad rei sensibilis Ideam perducendam. Menti quippe proximum objectum est phantasma. Nam cùm nulla rerum sensibilium, quæ extra nos sunt, ita præsens menti nostræ existit, ut in se ipsa percipi possit, sed omnes attinguntur in imagine seu phantasmate, quod ex earum appulsu in cerebro efficitur; phantasma fit proximum & immediatum objectum, proindequé proximè determinat mentem, ut hujus rei potiùs, quàm alterius Ideam in se producat.

PRO-

PROPOSITIO II.

Omnis Idea & cognitio rerum ſenſibilium ope ſenſuum acquiritur, quamdiu mens eſt copulata corpori. Inſinuavit id Tullius aſſerens. *Quidquid animô cernimus, id omne à ſenſibus* oriri. (o) Efficaciùs verò perſvadere videntur rationes ſequentes: *1ma.* Cùm enim ſenſus noſtri ſint quaſi feneſtræ & januæ domûs mentis, eam nulla res ſenſibilis ingredi valet, duntaxat per ſenſus. *2da.* Certum eſt: illud ope ſenſuum acquiri, quod per ſenſus percipitur, praxis autem nos indies docet: res ſenſibiles per ſuas imagines ope ſenſuum percipi; ex eo namque appellantur ſenſibiles, quòd ſenſus afficiant, & per ſenſus menti noſtræ deferantur, atque perceptio abſque Ideis nequeat eſſe, fateri neceſſe eſt, eas ope ſenſuum acquiri. Hinc illud Ariſtoteles: *Nihil eſt in intellectu, quin priùs non fuerit in ſensu. 3tia.* Intimo ſenſu ac experientia convincimur, nos ſenſibus debere cognitionem rerum corporearum; quas videndo, tangendo, guſtando &c: novimus, & pro majore vel minore ſenſuum noſtrorum uſu aut perfectione, augeri vel minui Idearum numerum & perfectionem experimur, quas de rebus his ſenſibilibus obtinemus. Quare qui nunquam vidit leonem aut elephantem,

[o] *Lib, 1. de Finib. cap. 19.*

nihilqué de eo audivit, profectò ejus Ideam ſe non habere ingenuè fatebitur. 4ta. Humana mens rerum Ideas acquirit & efficit per converſionem ad phantaſmata. *Impoſsibile* quippe *eſſe* (aſſerit S. Thomas (p) *intellectum noſtrum ſecundùm præsentis vitæ ſtatum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, niſi convertendo ſe ad phantasmata.* Hæc percepta per ſenſus objecta præſupponunt; nam aliter non fiunt niſi mediis ſenſibilibûs. Igitur niſi hæc ſint, Ideæ rerum ſenſibilium non erunt, ex quo ſequitur rerum ſenſibilium Ideas ope ſenſuum acquiri.

COROLLARIUM I.

Idea non venit per ſenſum modô à Democrito & Epicuro explicatô. Democritus Abderita referentibus Plutarcho (q) & Cicerone (r) docuit: 1. Mentem humanam corpoream eſſe. 2. A rebus ſingulis avolare quædam effluvia aut corpuſcula, in modum imaginis configurata, quæ ille *idola* nuncupat, ex ſumma ſuperficie rerum miro quodam artificio abraſa, quæ volitantia fortuitò & temerè dum cerebrum ſubeunt, ideæ fiunt. & cogitationum noſtrarum materies e. g. dum in oculos ſumma ſuperficies hominis ſubtiliſſimè abraſa illabitur, ab oculis aliisqué ſenſibus tandem in cerebrum

trans-

[p] *1. p. q. 84. a. 7.* (q) *Lib. 4. de Placitis cap. 8.* [r] *Lib. 1. de Finib. cap 6. & Lib. 1. de natur. Deor. cap. 18. 37. &c.*

transmittitur, cognoſcimus hominem. 3. Idola, hæc volitantia interdum ſibi occurrere, jungi, combinari, miſceri & conformari, quæ ita adunata, dum menti illabuntur, cerberos, centauros & ſexcenta ejusmodi monſtra repræſentant. Ejusdem, opinionis fuit & Epicurus, qui licèt quaſdam innatas, & prævenientes ſenſationem noſtram tenuerit Ideas, docuit nihilominus cogitationem fieri per ſimulacra incurrentia. Placeat audire Lucretium, hic ſententiam iſtam in ſchola Epicuri hauſtam egregiè enarrat. (s)

Nunc age, quæ moveant animum res, accipe & unde
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucîs.
Principiô hoc dico, rerum ſimulacra vagari
Multa modîs multîs in cunctas undique partes
Tenuia, quæ facilè inter ſe jungantur in auris,
Obvia quum veniunt, ut aranea, bracteaqué auri,
Quippe etenim multò magìs hæc ſunt tenuia textu,
Quàm quæ percutiunt oculos viſumqué laceſſunt;
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientq;
Tenuem animi naturam intus ſenſumqué laceſſunt.
Centauros itaque & Scyllarum membra videmus
Cerbereasqué canum, facies, ſimulacraqué eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur oſſa.

Omne

[s] *Lib. 4. de nat. rer. v. 726.*

Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua quæ fiunt àére in ipso.
Partim quæ variis à rebus cumqué recedunt
Et quæ consistunt ex horum facta figuris,

Testatur id ipsum de illis & S. Augustinus (t) inquiens: *Nullam aliam causam cujuslibet cogitationis opinantur isti, nisi cùm ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animos nostros.* Ast hæc assertio, seu veriùs commentum quàm sit vanum vel ex sequentibus rationibus patet: *ima.* Quia nititur falsô suppositô; putat enim animam humanam esse corpoream, quod falsum esse, & sacrosancta Fides & recta Philosophia docet. *2dá.* Quia tales imagines ex effluviis corpusculorum coagulatæ, fortunâ factæ, casu advolantes probari non possunt philosophicè. *3tia.* Quia non possemus cogitare, & Ideas formare, cùm volumus, quod aliter experimur; nam juxta hujus opinionis Authores, temerè solùm advolant hæ imagines. Quare explicandum esset, quo pacto nobis adveniunt tunc, cùm cogitamus, si determinata causa adventûs earum non affertur. *4ta.* Explicandum esset, quo pacto tales imagines per subtilissimos poros sensuum adveniunt? quomodo eos subintrant? quomodo eam solùm magnitudinem

acqui-

[t] *Lib. de utilit. cred. cap. 14.*

acquirunt, quæ poſſit collocari in ſenſuum poris. *5ta:* Cur talia effluvia non diſſipantur, ſuamqué retinent figuram? cur in mente humana ex illis non fit confuſio? cùm ex tot objectis innumera advolent. Adextremum explicari non poteſt in hoc ſyſtemate, quomodo cognoſcantur ratiocinia, judicia & aliæ res abſtractæ, univerſales & immateriales? cùm non ſint corporeæ.

COROLLARIUM II.

Idea non fit à Deo occaſione motionum per ſenſus excitatarum, ùt vult Carteſius, Hic enim licèt admiſerit Ideas innatas rerum, ùt Dei, veritatis, unitatis, bonitatis, temporis &c: non tamen omnium, præſertim ſenſibilium. Unde cùm ademerit omnem vim agendi non tantùm corporibus verùm etiam ſpiritibus, explicando: quomodo rerum ſenſibilium nobis cognitio adveniat? docuit: quòd occaſione motionum in ſenſibus noſtris ab objectis excitatarum Deus producat in anima noſtra impreſſionis objectorum repræſentationem ſeu Ideam, prout hoc fuſiùs explicant Philoſophi in Metaphyſica de ſyſtemate cauſarum occaſionalium circa commercium animæ cum corpore. Opinio iſta vel inde ſubſiſtere nequit, quòd falso innitatur fundamento, ſupponit quippe cauſis ſecundis facultatem agendi deeſſe, quod contra intimum ſenſum,

ſum; tot animæ actus, & evidentia artificum opera eſt, jamqué ex declaratione Propoſitionis primæ patuit.

COROLLARIUM III.

Idea non procedit ex unione mentis cum Deo, ùt aſſerit Malebranche. Vir hic nomine Nicolaus, natione Pariſinus, Presbyter Oratorii Domini JESU, in opere, quod inſcripſit de veritatis inquiſitione, docet: Ideas mentis noſtræ nil aliud eſſe nisì Divinam ipſam eſſentiam, quæ mentibus noſtris intimè conjuncta, ita eaſdem illuſtrat, ut in, ſe velut in ſpeculo, res & objecta quælibet exhibeat ac repræſentet. Verùm quis bene recollectus non videt? quòd hæc ſententia fabulis proxima ſit, multa inconvenientia complectatur, nullumqué ſuppetit rationis momentum; *turpe* autem *eſt*, ùt ait S. Auguſtinus (u) *ſine ratione cuiquam credere*, quo vel probabilis ſvaderi valeat. Si namque mentes noſtræ omnia in Deo vident, id fieri nulla alia ratione poteſt, quàm intuendo Divinam Intelligentiam, quæ Ideis omnium poſſibilium æquivalet, atque ita nihil ignorare mentem humanam oportet: Aſt inquit Malebranchius: *non omnia detegit Deus*. Sed pugnantia videri poſſunt: Ens ſimpliciſſimum videre, nec tamen integrum. at demus id.

[u] *Lib. de utilit. cred. cap. 14.*

id. Si tamen quæ detegit Deus, certè non inutilia nec noxia, verùm quæ maximè in rem nostram sunt. Cur ergo maxima Idearum pars inutilis est & plerumque noxia? cur permulti homines Divinarum Legum, quas Deus tantâ curâ inculcat, ignari evadunt & contemptores? Præterea, quum omnes mentes æquè Deo conjunctæ sint, cur non omnes æquè vident? cur eadem mens in pueritia, adolescentia, virilitate, senectute non eadem videt, nec ex eodem aspectu. Cur, quum promptuarium Idearum nostrarum Deus sit semper idem, memoria nostra non eadem semper; cur morbis notitia rerum amittatur? nec enim quidquam causæ est, cur Deus ita nobis à morbo aliquo irascatur, ut priores Ideas occultet. Cur Revelationes externæ & Leges nobis traditæ? Cur monemur à Sacris Scriptoribus, Deum à rebus *visibilibus nosci, & per ea, quæ facta sunt.* (v) Imò commentum hoc efficaciùs exploditur inde, quod videatur inducere Spinozismum, & non consonet Catholicæ Fidei; ad Begvinarum enim & Begvardorum errorem plurimum accedere videtur. Qui ideo à Clemente V. in Viennensi Concilio Annô 1300. damnati fuere, quia asseverabant, ùt refertur in Clement. de Heret. c. Ad nostrum: quòd *homo potest ita finalem beatitudinem secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi*

[v] *Ad Rom. cap. 1. v. 20.*

ti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata, tum: *Qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum & eo beatè fruendum.* Quid verò aliud est beata Dei visio? nisi cognitio immediata & clara Essentiæ Divinæ. Igitur si nos in hac mortali vita constituti, (ùt placet Malebranchio) Divinam essentiam clarè & distinctè intuemur, nonne beata Dei visione gaudemus? Non ergo opus erit lumine gloriæ, ut illud ipsum in Cœlo assequamur, quo in terris nunc fruimur, hoc verò quid absurdius. Quo argumento convicti Recentiores illius vim effugere nituntur, dicentes: nos Divinam essentiam in via assequi imperfectè, in Patria verò visuros perfectè. Ast nonnisi ludunt verbis. Si equidem videre perfectè significat comprehensivam, plenam & adæquatam Dei visionem, profectò hanc mens humana etiam in Patria nullatenus potest assequi. Si verò videre perfectè significat immediatam & claram Dei notitiam, hæc perfectio nobis etiam in hac vita conceditur ex Malebranchii sententia. Quamvis itaque nostra cognitio Divinæ essentiæ, quam nos habere in hac vita sequaces Malebranchii contendunt, dicatur esse gradibûs imperfectior, tamen si clara & immediata est, beatum faciet videntem. Unde & Cælites beati sunt omnes, quamvis pro meritorum

diffe-

differentia perfectiorem alii aliîs Dei visionem obtineant. Quare hæc illorum responsio vim argumenti non enervat, hinc nolint velintque fateri debent hoc Malebranchianum cogitatum, non satìs Fidei nostræ congruere.

COROLLARIUM IV.

Homo per totam vitam sensibûs destitutus aut aliquo eorum, caret Ideâ rei, quæ tali sensu solùm percipitur. Cùm enim Idea rei sensibilis, ùt ostensum Propositione 2da, ducat originem à sensibus, hìs deficientibûs, deerit quoque Idea. Hinc illud commune emanat proverbium: *Cæcus de coloribus non judicat.* cur? quia illi eorum cognitio per visum, quo privatus est, non venit. Et sanè quis judicabit absynthium esse amarum, aut saccarum dulce? quod toto vitæ suæ tractu nunquam gustavit. Quis corvum asseret nigrum, quem nunquam vidit. Facit ad hanc rem, quod narrat Pater Cæsareus Pozzi (x) de quodam cæco, hic cùm diu multumque quid color coccineus foret? meditatus esset, tandem quid simile sono tubæ esse respondit.

COROLLARIUM V.

Ideæ rerum sensibilium ope sensuum immediatè acquiruntur. Patet ex eo, quòd hæ Ideæ me- diantibûs

(x) *Institutionum Philos.* § *Quo pacto comparentur Ideæ.*

diantibûs aliîs objectîs ſicut rerum inſenſibilium, non formantur, neque ex aliis per aliquem actum intellectûs eruuntur, ut v, g. generis idea eruitur ex cognitione ſpecierum & individuorum; verùm per ſe directè in imagine propria attinguntur à mente.

PROPOSITIO III.

Idea rerum inſenſibilium eruitur ex rebus ſenſibilibus.

Quousque enim mens noſtra corpori juncta eſt, hucuſque, ùt inquit Angelicus Doctor (y) cognoſcit convertendo ſe ad phantaſmata, quibûs cum inſenſibilia careant, nos tamen Ideas eorum habere experimur, ſupereſt eas erui ex ſenſibilibus rebus. Appoſitè noſtræ materiæ S. Gregorius Nazianzenus (z) inquit: *Ut nemo quantumlibet feſtinans umbram ſuam prætergredi poteſt, tantundem enim antecedit, quantum eam aſſequeris: neque oculus cum rebus aſpectabilibus conjungi ſine interjecta luce & aëre, neque extra aquas natatilia volvi; ita fieri non poteſt, ut qui corporibus incluſi ſunt, ſine corporearum rerum adminiculo cum iis rebus verſentur, quæ animo & ratione intelliguntur.* Clariùs id exprimit S. Thomas (a) dicens. *Incorporea quorum*

[y] 1. q. q. 88. a. 3. (z) *Oratione 2. de Theologia.* (a) 1. p. q. 86. a. 4.

rum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem & corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata. *Impossibile* quippe, ait Dyonisius Areopagita (b) *animo nostro ad immaterialium ascendere contemplationem nisi materiali manuductione utatur, & visibiles sensibilesque species arbitretur imaginationes esse invisibilis pulchritudinis.*

Quia verò Cartesiani inquirunt, quomodo entia abstracta & spiritualia ope sensuum & rerum sensibilium à nobis cognoscantur? ideo post Aristotelem D. Thomam Peripatetici & Recentiores sic explicant: Imprimis *Deum* ùt Dyonisius (c) dicit: *cognoscimus ùt Causam per excessum & per remotionem* seu Idea Dei eruitur ex sensibilibus *positione*, tribuendo videlicet Deo prædicata excellentia, & *negatione*, quasvis removendo imperfectiones. Sic dum ens Æternum immensum &c: concipimus, ab illius existentia excludimus omnes terminos temporis, loci, quos ratiocinatione inferimus indignos Deô illimitatô, ipsis entibus creatis proprios. Simile quid fit circa *spiritus*, quorum naturam ita attingunt Ideæ nostræ, ut non tam positivam imaginem illius substantiæ exprimant, quæ spiritus est, quam excludant proprietates, quæ in corporibus observantur, sic concipimus spiritum velut ens indivisibile, non figuratum &c: his dein illatione

[b] *Lib de Cælesti Hierar. cap. 1.* (c) *De Divin. Nom. cap. 1.*

illatione quadam ex nostra experientia & notitia deducta adjicimus paucula eg. facultatem cogitandi volendi &c: cum similitudine aliquali earum potentiarum, quibûs nos operari experimur veriùs, quàm explicare scimus. *Animam rationalem* concipimus velut auram quandam tenuem subtilissimam lucidam cui vim cogitandi & volendi attribuimus, à qua tandem removemus esse corporeum, atque eam solum concipimus confusè, ad modum cujusdam entitatis, quæ in se substantia sit & non corpus. Notionibus *Entis*, *substanstantiæ & universalium* cæterorum, præcisio vel abstractio sufficit, cujus ope ex sensibilibus avelluntur. Quid enim Ideæ universales sunt? nisi quas inductione particularium rerum aut analogia quadam, dum proprietates & attributa earum indagamus, acquirimus, non attingendo prædicata singularibus propria. eg. Idea *Entis* sic ex sensibilibus eruitur: Cum Ens in communi sit illud, quod est, aut cui non repugnat esse, dum plura singularia sensibilia considerat, & præscindendo ab aliis prædicatis, solam existentiam aut non repugnantiam ad existendum attendit, tum Ideam Entis habet. Pariter Ideam *substantiæ* mens format ex sensibilibus, si nimirum advertat in singularibus rationem existendi per se independenter ab alio; cumque hoc solum prædicatum attendit in singularibus v.g. in

Paulo,

Paulo, sole, luna, auro & ope abstractionis format Ideam substantiæ. Idem de aliis universalibus Ideis dicendum. Pari facilitate beneficiô sensuum notio *veritatis* comparatur. Cùm enim verum dicamus, quod suo exemplari conforme est, vera in rebus sensibilibus cum plura oculis occurrent, ab his si conformitatem ope præcisiones reseces, Ideam veritatis concipere licet. De *unitate* idem dicendum. Unum est indivisum in se & divisum à quolibet alio, si hæc indivisio & incommunicabilitas multis, in sensibilibus attingatur, cæteris proprietatibûs neglectis ope abstractionis excerpitur Idea unitatis. *Temporis* Idea est motûs Idea, inquantum quidpiam exprimit habens partes succedentes, quod ex locali corporum successione aut latione per similitudinem colligimus. *Negationis* Idea nulla est, cùm enim negatio sit omnino nihil, per se exprimi non potest ac repræsentari. Itaque negationes duntaxat indirectè cognoscimus, quatenus ex quo rem novimus, illius etiam negationem atttingimus, quoties rem ipsam non esse perspicimus. Prima scientiarum axiomata & principia ex simplici collatione Idearum sensu & reflexione haustarum derivari possunt, ut labore non immodico ostendit Lockius. Sic dum videmus arborem esse majorem quavis parte divisim & seorsivè sumpta, eg. folio, ramo, trunco, cortice, radice, & cùm id ipsum in

aliis

àliis entibus reſpectu ſuarum partium deprehendimus, inferimus: *Omne totum eſt majus ſua parte* distinctè ſumpta. *Et ipsa* quippe *natura animæ intellectualis*, verba Angelici Doctoris, *convenit homini, quòd ſtatim, cognitiô quîd eſt totum & quid eſt pars, cognoscat quòd omne totum eſt majus ſua parte.* (d) Cognoſcere autem quid ſit totum, quid pars, nequit niſi per ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus acceptas. Unde & Philoſophus ait (e) *quòd cognitio principiorum proveniat nobis ex ſensu.* Item *Principia quædam moralia*, ut: *Deus eſt colendus. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ideæ virtutum ac vitiorum* per intellectum ritè diſpoſitum eruuntur ac inferuntur ex Ideis Dei, utilitate vitæ ſocialis &c. vel educatione, exemplis, pænis imprimuntur ac perficiuntur.

COROLLARIUM I.

Licèt cognitio rerum inſenſibilium dependeat à ſenſu mediatè, tamen ſingulis Ideis rerum inſenſibilium propria & genuina phantaſmata correſpondere non poſſunt. Nam res ſpirituales & abſtractæ ſenſibilem propriam imaginem habere nequeunt, aliàs eſſent materiales v, g. conceptus virtutis, eſſentiæ, unitatis veritatis &c. Neque etiam poſſunt immediatè & per ſe aliquam mutationem

& motum

[d] *1. p. q. 51. a. 1.* (e) *in fin. Poſter. tex. ult.*

& motum causare in cerebro, cùm nullo sensu immediatè & per se attingi, possunt. Possunt tamen habere phantasma seu imaginem alienam, ex qua formatur cognitio earum in intellectu, sic Angelus cognoscitur per speciem juvenis, quæ tamen non est ejus species genuina. Hæc doctrina desumitur ex D. Thoma 1. p. q. 84. a. 7. ad 3.

COROLLARIUM II.

Mens humana Ideas rerum insensibilium variô modô format, videlicet: aut *Præcisione & abstractione*, dum unum attributum rei sine altero contemplatur ùt in universalibus. Aut *Collatione & Comparatione* dum e.g. Angelus concipitur instar juvenis. Aut *Proportione & similitudine*, dum res insensibilis, adinstar rei sensibilis concipitur eg. dum lumen rationis instar luminis materialis explicatur. Aut *Discursu & Ratiocinio* ùt v. g. cognitô Deô, quòd sit summum & excellentissimum Bonum, Eum inferimus summè amandum & colendum vel dum ex non figurata & indivisibili substantia inferimus spiritum. Aut *Positione*, dum illa tribuimus objectis insensibilibus, quæ reperiuntur etiam in rebus sensibilibus, licèt modô excellentiorî, ùt eg. Deo sapientiam, justitiam, sanctitatem &c. Aut *Remotione* dum illa ab objecto removemus, quæ ei non convenire aliunde cognoscimus, ut v. g.

dum, Deo tribuendo prædicata excellentiæ, removemus ab Eo omnes imperfectiones, quas in creaturis observamus. Aut *judicio*, *compositione*, *diminutione*, *reflexione*, *meditatione* &c.

COROLLARIUM III.

Omnis nostra cognitio non ita à sensibus dependet, ut nonnisi quæ sensibilia sunt, & quidem nonnisi prout sensibilia, à nobis cognoscantur. Multa quippe talia cognoscimus, quæ sensoria corporis organa non afficiunt. Et ut plura id genus alia, compendii gratiâ, prætermittam, *evidens est veritatem, bonitatem, justitiam, omnesque virtutes à nobis definiri, adeoque intelligi, non utique intuendo lineamenta earum, vel colores, aut quomodo sonent, aut quid in ore sapiant, aut quid contrectantibus de calore, seu frigore, multitudine, seu duritie, lenitate, seu asperitate renuntient, sed alia quadam visione, alia luce, alia rerum evidentia & longè à cæteris præstantiore.* (f) Item si tantùm sensibilia & quidem nonnisi prout sensibilia cognosci à nobis possent, nulla in nobis esset vel esse posset Idea, cui corporea imago in cerebro depicta non responderet; percipiuntur quippe sensibilia quatenus ex immutatione in organis sensoriis ab illis facta, corporea quædam ipsorum imago in cerebro depingitur, mentique obver-

[f] S. *Augustinus lib.* 12. *super Genesim num.* 6. *alias cap.* 3.

obversatur. Igitur vel nulla prorsus Dei notio in nobis est; quippe quæ per corpoream imaginem exprimi nequit, vel nonnisi instar corporum Deus à nobis concipi potest, ac propterea frustra antropomorphitæ, ii nimirum, qui hominis membra, passionesque Deo tribuunt, reprehenduntur. Siquidem nullum erit principium, quo convinci corporis possint, si nulla sit Idea quæ incorpoream naturam menti valeat exhibere.

COROLLARIUM IV.

Etiamsi cognitio Dei & spirituum ducat originem ex rebus sensibilibus, potest nihilominùs Deus ab intellectu concipi omnis materiæ expers, pariter & spiritus. Enimverò intellectus cùm sit præditus facultate agendi, per remotionem valet facilè à Deo & spiritibus segregare ea omnia, quæ aliquid corporeum & materiale sapiunt.

COROLLARIUM V.

Nulla tamen insensibilis rei Idea haberetur in mente, si nulla res sensibilis cognosceretur. Si enim nullam rem sensibilem mens copulata corpori perciperet, non haberet originem & phantasma ex quo notionem rei insensibilis derivaret. Præterea mens humana ad percipiendum debet determinari ab objecto scilicet phantasmate, cùm itaq; sine rebus sensibilibus non possit esse phantasma,

ùt ſuperiùs oſtenſum, ſine phantaſmate, rei inſenſibilis notio eſſe nequit. Imò Petrus Gaſſendus affirmat: *Si homo ſenſibûs omnibûs deſtitutus nasceretur, eum ne quidem cogitandi capacem fore.*

PROPOSITIO IV.

Non dantur Ideæ innatæ, ad mentem Carteſianorum.

Carteſius cum ſuis Sectatoribus, quaſdam Ideas dari ingenitas propugnavit, Ideas nimirum primorum principiorum tum ad ad theoriam, tum ad praxim pertinentium, Dei, veri, unitatis, univerſalium & cæterorum immaterialium; verùm has quoque non eſſe ingenitas experientia & ratio ſufficienter nobis perſvadent. Et primò quidem nulla eſſe *Theoretica principia* à creationis momento in anima impreſſa, proindeque ingenita, ſatìs apertè vel ex eo demonſtratur, quòd ipſa ab omnibus hominibus non cognoſcantur. Quis puerorum principia univerſalia & abſtracta unquam cognovit? ut v. g. *Impoſsibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, vel ſaltem de iis cogitavit? Quid hujuſmodi impreſſio in anima dicit? niſi ejuſdem animæ dicat cognitionem. Quinimo cùm animæ eſſentia juxta Carteſii Sectatores ſit cogitatio, non video quo pacto veritates hæ in cogitatione ſint, eas nihilominus anima ignoret. Nec neceſſe cenſendum, ut

rationis

rationis uſus expectetur cùm per Carteſianos ratio nil aliud ſit, quàm animæ facultas ignotum colligendi ex noto; ratio profecto in primorum principiorum cognitionem influere nequit, quæ nullo ratiocinio egent, utpote evidentiſſima. Cùmque ex eorum opinione, impreſſa ac inſculpta animæ ſint à Deo, ut rationem dirigant, non eſt ratio adhibenda ut detegantur. Præterea in pueris manifeſtè aliquando elucent plura rationis indicia longè, antequàm axioma: Impoſſibile eſt idem &c: cognoſcant. Scimus equidem notiones haſce facillimè ac ſtatim percipi, dum explicentur, verumtamen ex hoc duntaxat colligi humanam mentem habitu ſeu facilitate pollere ad principia evidentiſſima percipienda, nequaqnam autem eadem principia eſſe in anima impreſſa. Aſt cognoſcantur primo rationis uſu, ergone innata ſunt? haud profecto. Nulla etenim ſufficiens apparet connexio inter harum veritatum cognitionem in anima primo rationis uſu ortam, & impreſſionem harum veritatum factam in anima primô exiſtentiæ momentô, præterquam quòd principium illud ex Ideis identitatis, impoſſibilitatis componitur, quæ cùm innatæ non ſint, nequé principium ingenitum dicendum eſt. Pythagoras eundem hominem dicebat, quem alii diverſum affirmabant. Vulgares homines ſæpe prædicant impoſſibile, quod alii poſſibile ſtatuunt.

tuunt. Et hæc diverſa hominum judicia arguunt Ideas innnatas. Quod atrinet *moralia principia*, neceſſariò de his omnes homines convenirent, ſi ingenita forent, nec ulla afferenda ratio ad illorum confirmationem, quorum veritas adeo evidens eſſet, ut nec unus quidem reperiretur, qui illa in dubium revocaret. Aſt quàm multi diſconveniunt, vel facta ipſorum nobis oſtendunt: Plures populi nationeſque filios mactant, atque eotum carnibùs veſcuntur. Græci Romaniqué ſibi licere judicârunt liberos, quos educare nolebant, exponere, ut à feris, vel fame necarentur. Mos etiamnum eſt penes nonnullos populos (g) longævos Parentes interficere. Ergoné principia illa: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Parentes ſunt colendi.* ingenita ſunt? Interrogetur Chriſtianus, Politicus, ethnicus de Principio: *Fides ſervanda in contractibus eſt.* Primus mandatum Dei, alter humanam ſocietatem, tertius honeſtatem humanæ naturæ, pro ratione, principii obſervandi habebit, ergoné in anima impreſſum primô creationis momentô? Hinc conſcientiæ ſtimuli, quibûs vexantur, dummodo tamen vexentur, qui contra hujusmodi principia agunt, vel ab educatione, vel ex ſocietatibus, quas colunt, vel à moribus, qui in peculiari regione obſervantur, vel denique metu pænæ repetendi ſunt;

Haud

[g] *Pezzi Inſtit. Phil. cap. 4.*

Haud etenim conſcientia interna nempe noſtrarum actionum intimus ſenſus in nobis ingenita illa principia probat, cùm nonnulli ex conſcientia teneri credant obſervauda quædam, quæ alii eâdem conſcientiâ vitanda eſſe opinantur, ex quo Deum diverſis hominibus repugnantia principia tribuiſſe colligeretur; quod impium & abſurdum. Quod ſpectat ad *virtutes & vitia*, ſic exponit Clericus dicens: (h) *Ideas virtutis ac vitii nequaquam innatas eſſe, hinc liquet: quòd exemplis & inſtitutione eas à Parentibus Magiſtris, iisque quibuscum vivimus habeamus. Hinc fit, ut apud cultiores gentes ſint magis perſpicuæ quàm apud barbaras, utque tanta ſit in humano genere circà virtutes & vitia diſſenſio. Ad disciplinam quidem & exempla aliorum accedat noſtra meditatio neceſſe eſt, niſi velimus ſæpiſsimè falli, ſed hoc ipſum judicium eſt, nullas neque nobis neque aliis innatas de hisce eſſe ideas.* Denique, ſi *Dei* Idea eſſet nobis ex momento nativitatis ingenita, pueri quoque cognoſcerent Deum, quidque Deo debetur, ac proinde onus erga Deum incumberet ipſis. Impium enim eſſet, excogitâſſe pueros cognoſcere quid Deo debeant ex momento nativitatis, & nulla in Deum obligatione teneri. Imò cùm anima pueri per Carteſianos eſt veluti liber, in quo characteribûs clarîs ac corruſcantibûs Idea

tum

(h) *Pneumatol. Sect. 1. cap. 5. § 23.*

tum Dei, tum officii erga Deum, vî legis naturalis implendi insculpta est, dicendum erit puerum tam exactè tam clarè Dei Ideam ac legis naturalis habentem, ac nos habemus, cognoscere tum Deum tum naturalem legem, ùt nos cognoscimus. Ergo ex momento nativitatis, imò in sinu matris infans capax erit peccatorum, quod & absurdum & ridiculum est. Id tamen ex Cartesianorum systemate oritur, si animadvertatur animam incrementi susceptibilem non esse. Cum à Creatore prodit, (ajunt illi) tam capax est acquirendarum cognitionum, ut est post longum tempus à creatione. Incrementum, infantia, ad corpus duntaxat attinet, corpus crescit, ætate debilitatur ac desinit, anima eadem semper est naturâ, atque nullo pacto hujusmodi variationibus obnoxia. Ergo in ipsa ex instanti creationis, operationes præsuponendæ sunt, quæ nullimode sensibûs indigent, quemadmodum Dei Idea est imò omnes Ideæ, quarum objecta spiritualia sunt. Puer ergo tum legem naturalem cognoscit tum Creatorem, necessum igitur ut Eum interiori cultu & amet & colat. Quid ad hæc Cartesiani! ecce reponunt. Quantumvis infans iìsdem gaudet Ideìs, ac gaudet homo perfectus, non potest tamen iìs uti; cùm satìs non sit Ideam habere nisi percipiatur, ut autem percipiatur, sensus necesse est ut roborentur, Verùm credere non

possumus,

possumus, eos, quibus nefas est, dicere necessarios esse sensus ad id, quod attinet cognitionem objectorum, velle modò ne reddatur infans in sinu matris sapiens, sensuum debilitatem atque infirmitatem in medium afferre. Hoc tamen imperceptibile est, quomodo Ideæ spirituales innatæ in mente residentes à sensibus valeant percipi? Non videtur ergo differre systema à systemate, nisi quòd in uno Ideæ à sensationibus originem habent, in altero perceptiones. Quod totum maturè consideranti relinquo. Insuper hoc adhuc addo: si Idea Dei omnibus est innata, cur tot Athei, tot idololatræ, tot iniquè ac impiè de Deo sentientes reperti sunt? Demum huic materiæ quadrat, quod legitur in Actis Academiæ Parisiensis ad annum 1703. Carnuti in Civitate Galliæ Vir 23 annorum ætate, artificis cujusdam filius, à nativitate surdus & mutus, repente cum omnium admiratione loqui cæpit. Hic 4. aut 5. mensibûs antè campanarum sonum audivit, dein humor quidam ex aure sinistra profluxit, ex quo factum est, ut utriusque auris usum obtinuerit. Trium vel quatuor mensium spatiô, quæ ab aliis dicebantur, perattente auscultabat, tandem cùm loqui, licèt imperfectè cæperit, eruditissimi statim ac magni nominis Theologi, de tempore, antequam loquelam & auditum acquisiverit, sciscitabantur, postea interrogatus

quam de Deo antea habuisset ideam? quam de Anima? quam de bono vel malo marali actionum respondit se, ne quidem de his unquam cogitâsse, & licèt Parentibûs Catholicîs ortus, quamvis cum ipsis Missæ Sacrificio interesset, signô Crucis se muniret, genua, ùt mos est, flecteret, nunquam se, quid hæc omnia significarent, neque quid alii per hæc significare vellent, intellexisse dixit, prædicta enim omnia se exemplô aliorum inductum fecisse, nec horum rationem assecutum fuisse, narravit. Si verò juxta Cartesianos Idea Dei congenita esset, utique iste eam non ignorâsset, præcipuè cùm tot signîs adorationis, ea excitari potuisset. Veri, Vnitatis &c: quòd non sint Ideæ innatæ, patet ex eo quòd hæ eruantur ex sensibilibus, ut Propositione 3tia deductum.

COROLLARIUM I.

Recentiores inaniter S. Augustinum circa Ideas innatas suum vendicant Patronum. Nam ipse S. Doctor se alienum ab hac opinione declarat dicendo (i) *Cùm aliquid oculis cernitur, cintinuò fit imago ejus in spiritu, sed non dignoscitur facta, nisi cùm ablatîs oculis ab eo, quod per oculos videbamus, imaginem ejus in animo invenerimus. Et si quidem spiritus irrationalis est velut pecoris, hucusque oculi* nunti-

[i] *Lib. 12. de Gen. ad literam cap. 11.*

nuntiant, si autem anima rationalis est etiam intellectui nunciatur, qui & spiritui præsidet, ut si illud quod hauserunt oculi, atque id spiritui, ut ejus illic imago fieret, nunciaverunt, alicujus rei signum est; aut intelligatur continuò, quod significat, aut quæratur quoniam nec intelligi, neque requiri, nisi officiô mentis potest. Item. *Vidit Rex Balthasar articulos manus scribentis in pariete, continuóque per corporis sensum imago rei corporaliter facta spiritui ejus impressa est, atque ipso viso facto ac præterito illa in cogitatione permansit; videbatur in spiritu & nondum intelligebatur, nec tunc intellectum erat hoc signum, cùm corporaliter fieret, atque oculis corporalibus appareret. Iam tamen signum esse intelligebatur, id habens ex mentis officio; & quia requirebatur, quid significaret, etiam ipsam inquisitionem utique mens agebat.* In his ergo S. Doctoris verbis triplex genus visionis exemplificatur: *1mum* nempe, visio per sensum, exprimitur, dum ait: *Cùm aliquid oculis cernitur.* & *Vidit Rex Balthasar.* Succedit actio phantasiæ, quæ adeo distincta est à priore, ut hac cessante, videatur in phantasia imago objecti: *Continuò fit imago ejus in spiritu* Ubi nomine spiritûs phantasia intelligitur, quam idcirco S. Doctor spiritûs nomine appellat, quoniam à præsentia corporalium rerum abstrahit, ad differentiam oculi, qui non videt nisi præsentia. Unde capite 14. eandem nominat phantasiam. 3tium visi-

onis genus est mentis seu intellectus actio. *Si autem anima rationalis est, etiam intellectui nuntiatur, qui & spiritui præsidet,* efformatque illius imaginis in se speciem, aut requirendo operatur. *Quoniam nec intelligi nec requiri nisi officio mentis potest. Etiam ipsam inquisitionem utique mens agebat.* Itaque S. Augustinus modum cognoscendi docet esse ejusmodi: primò sensatio in externis sensibus fit, exinde in phantasia objecti imago, tandem species intelligibilis seu Idea, in quo à Cartesianis differt.

COROLLARIUM II.

Idea innata pro ipsa facultate producendi Ideam, sumi non potest. Si namque Idea innata nil esset aliud, quàm ipsa potentia formandi ideam, nimirum: si innata Dei Idea esset facultas producendi Ideam Dei, & Idea innata Entis, esset vis producendi ideam entis, atque sic de cæteris, omnes Ideæ nobis essent innatæ. Menti quippe humanæ non minùs inest facultas producendi Ideas Dei, entis &c: quàm producendi Ideas lapidis, ligni, elephantis, cæterorumque, quorum Ideæ vel Factitiæ vel adventitiæ vocantur, hoc autem non videtur dicendum, alioquin nugatoria esset Idearum distributio in adventitias, factitias atque innatas, Deinde sumpta Idea innata pro potentia cogitandi, quæ menti congenita est, in dubium vocarî nequaquam

quaquam

quaquam poteſt. Aſſerente quippe S. Auguſtino (k) *Vivere ſe & meminiſſe & intelligere & velle & cogitare & ſcire & judicare, quis dubitet? quandoquidem etiam dubitat vivit; ſi dubitat, unde dubitet, meminit; ſi dubitat dubitare ſe intelligit; ſi dubitat certus eſſe vult, ſi dubitat, cogitat, ſi dubitat ſcit ſe neſcire, ſi dubitat judicat non ſe temerè conſentire oportere. Quisquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet, quæ ſi non eſſent, de ulla re dubitare non poſſet.* De exiſtentia autem Ideæ innatæ ambigunt plurimi, neque pauci ſunt, qui exiſtentiam ipſam inficiantur.

COROLLARIUM III.

Neque Idea innata ſumi poteſt pro actuali & continua notione rei. Cuivis enim homini ab experientia propria certùm eſſe poteſt, quòd anima ſua non attingat actu continuo Deum, aut principium illud: *impoſsibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Unde opinatur P. Buffier (l) à nullo Philoſopho Ideis innatis ſenſum hunc, omnis nempe difficultatis expertem tribui. Quare Idea innata videtur à ſuis Patronis communiùs intelligi ſpecies quam mens ſibi ineſſe cognoſcit, & tamen nec ſenſuum miniſterio ullo acquiſita, nec ab intellectu efformata, proin eidem naturaliter inſita objecta ſenſatione excitabilis. CO-

[k] *Lib. 10. de Trin. num. 14. alias cap. 10.* [l] *Logique 2. art. 24.*

COROLLARIUM IV.

Nisi omnes Ideæ sint innatæ, hypothesis Idearum innatarum inutilis est ad earum originem explicandam. Etenim si omnes non sunt innatæ, assignanda est alia via, qua reliquæ proveniant, & ita ambages iterum & incertitudo super origine maximæ Idearum partis. Præterea nisi omnes sint innatæ, erunt quædam adventitiæ, à Deone an à sensu? Primum nullo modo adversarii probare possunt, & intelligi nequit, cur non potiùs simul cum innatis aliis eas in mente procreaverit Deus, quàm paulatim & successione atque per intervalla. Si dicatur postremum, cùm id facile demonstratu sit, eadem via omnes reliquas quæ non adventitiæ statuuntur produci posse. Doctrina itaque Idearum innatarum inutilis erit & superflua.

COROLLARIUM V.

Nequeunt Ideæ omnes esse menti concreatæ. Stante enim opposita hypothesi, omnium corporum Cælestium & terrestrium earumque qualitatum, quæ nobis tactu gustu, auribus oculis percipi videntur, Ideæ ingenitæ erunt. at id nemo sanus unquam dixit. Deinde si quis id dicit, dicat necesse est, esse eas perpetuò menti præsentes; neque enim quidquam in simplici mente ingenitum esse potest,

quin

quin sit illi semper præsens, quod si præsentes, semper eas mens percipit; non autem semper percipit, nec ergo sunt præsentes, neque innatæ.

Scholion. Notitia Dei, nobis à natura insita congenitaque à Patribus & Philosophis persæpe dicitur; non quia Dei notione mens nostra primô vitæ suæ momentô fuerit extrinsecus informata, neque quia istiusmodi notio sine ullo creatæ causæ subsidio in nobis excitetur, quemadmodum certè opus est, ut innata dicatur; sed quia ea est mentis nostræ natura atque vis, eaque mundi totius structura rerumq; præstantia, ut mens nullum creatum ens considerare possit, quin inferre vel invita cogatur, supremum aliquod extare Numen, à Quo hæc univetsa condita fuerint atq; regantur. *Homo ita creatus,* inquit S. Augustinus (*m*) *ut per id, quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id est: unum, verum, Optimum Deum, sine Quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit.* Cuncta enim, quæ creata sunt, Divinatis vestigium in se complecti, summus quoq; ille Trismegistus novit, inde ait: *Cùm per Deum cuncta clarescant, per omnia rursus, atq in omnibus fulget, Deus sanè totius expers invidiæ per singulas mundi particulas ubique splendet, atque ideo se notum præstat, ut non intelligere modò, sed & manibûs etiam ipsîs, ùt ita dixerim, liceat attrectare.*

[m] Lib. 8. de Civit. Dei cap. 4.

ctare. Nam ubique nostris oculis Ejus obversatur, seq; objicit & inculcat imago. (n) Hinc S. Augustinus inquit: *Circumeat animus tuus per universam creaturam, undique tibi clamabit creatura Deus me fecit. Quidquid te delectârit in arte, Artificem commendat, magìsque si circumeas universa, consideratio concipit Artificis laudem. Vides Cælos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit seminum numeros, diversitates germinum multitudinem animalium. Circumi adhuc Cælos usque ad terram, nihil relinquas, undique tibi omnia resonant Conditorem & ipse species creaturarum, voces sunt quædam Creatorem laudandantium.* (o) Cui & ex hac Opella sit

LAVS, HONOR, & GLORIA.

(n) *Lib. de Potest. & Sapient. Dei cui titulus Pimander.* (o) *Exar.* 2 *in Psal.* 36; *num.* 12.

PERMISSU
MAGNIFICI & AMPISSIMI DOMINI
RECTORIS.

B. 5. 1. 5.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0016559